


1964

Ob 12

1964 \$.





INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSIS

PER AESTATEM


A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCIV

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT:

PROF. DR. HUGO WEISS:

QUID DE IMMORTALITATE ANIMARUM HEBRAEI ET GENTES HEBRAEIS FINITIMAE
ANTIQUIORE TEMPORE SENSERINT. PARTICULA II.



BRUNSBURGAE.
TYPIS HEYNEANIS (G. RIEBENSAHM)
1904.



LYCEI REGII HOSLANI H. T. RECTOR

DR. FRANC. NIEDENZU,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS

S.

**Quid de immortalitate animarum Hebraei et gentes Hebraeis finitimae
antiquiore tempore senserint.**

II. Aegyptii.

Parva Jacobi patriarchae familia in Aegypto per quadringentos annos¹⁾ valde crescebat et paullatim magni populi speciem assequebatur. Neque frustra pastores Israelitici tunc tanquam scholis magistrorum eruditorum intererant; nam non solum prima elementa agriculturae, mercaturae, variarum artium et disciplinarum ab Aegyptiis discebant, sed etiam haud pauca vocabula Aegyptiaca paternae linguae Hebraicae immiscebant,²⁾ immo ad idololatriam Aegyptiacam, quippe quae externo quodam splendore mentes caperet, tam prope accedebant, ut Dei sui veri cultum cum cultu deorum fictorum et commenticiorum paene commutassent (Exod. 32, 1 sqq., Jos. 24, 14).³⁾ Quod periculum a plerisque solummodo propterea declinatum est, quod Thutmes III., Seti I., Ramses II. Pharaones populum Israeliticum ipsis odiosum crudelissime premebant ita ut omne commercium vexatos inter et vexatores saepenumero intermitteretur. Conditionem autem illam Israelitis periculosam ut melius perspiciamus, ex gravissimis Aegyptiorum doctrinis unam eamque de immortalitate animae humanae doctrinam eligamus et accuratius perscrutemur, unde facile apparebit, num veteribus Hebraeis saluti et decori fuisset, si Aegyptiorum vestigia omnino persecuti essent.

1. Populum Aegyptiacum abhinc antiquissima tempora ideam quandam de immortalitate animarum fovisse, nunc fere inter omnes historicos constat.

a) Jam multi veterum Graecorum scriptores accolae Nili fluminis illam ob causam laudibus celebrarunt. V. gr. Herodotus Aegyptios prius quam ceteros populos immortalitatem animarum

¹⁾ Index lectt. Lyc. Hos. 1884, not. 27.

²⁾ Vigouroux, La bible et les découverts modernes II, p. 619 sqq.

³⁾ Scholz, Götzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebraeern p. 105 sqq.

cognitam habuisse arbitratur.⁴⁾ Tum Plato, disertissimus immortalitatis praeco, aequae ac Lykurgus, Solon, Pythagoras, Plutarchus de legibus, moribus, rebus divinis meditabatur in Aegypto, ubi per tredecim annos commorabatur.⁵⁾ Diodorus autem Siculus in quaestione nostra tractanda haec testatur: „Aegyptii vitam terrestrem parvi pendebant, vitam vero post mortem futuram magni aestimabant; quare habitacula viventium nominant hospitia, quoniam in illis per breve tantum tempus habitant, aedificia autem mortuorum nominant domicilia aeterna, quoniam in inferno tempus degunt infinitum.“⁶⁾

b) Quae veterum scriptorum testimonia recentiore tempore sexcenties approbata sunt postquam Champollioni aliisque viris doctis Francogalliae, Germaniae, Angliae, Italiae contigit, ut scripturam hieroglyphicam eousque perobscuram explicarent et linguam Vetero-Aegyptiacam investigarent ac restituerent. Quapropter nunc summa cum certitudine ex tribus documentis indigenis, quid de immortalitate Aegyptii opinati sint, directe percipere possumus — ex inscriptionibus scilicet sarcophagorum, ex picturis, quibus parietes sepulcrorum ornatae erant, ex papyris quibusdam una cum cadaveribus in sepulcris depositis.

Sarcophagi, *Neb anch* i. e. Dominus vitae seu *Hen en anchiu* i. e. Arca viventis⁷⁾ nominati, qui prioribus temporibus omni ornatu carebant, jam „medii regni“ tempore i. e. 2500—1500 a. Chr. n. et intrinsecus et extrinsecus complebantur inscriptionibus, quibus sive ipse defunctus sive ejus cognati et amici deos tutelares invocabant necnon spem suam vitae beatae post mortem futurae nuntiabant.⁸⁾ V. gr. in sarcophago Hatbastru Aegyptii haec verba inscripta sunt: „Tibi (in sarcophago condito) ingredi et egredi licet; non remotus es ex portis eorum, qui ad capessendam beatitudinem aeternam resurrexerunt.“⁹⁾

Clarius quam ex sarcophagis opinio Aegyptiorum de immortalitate patefit ex Mastabis i. e. aedificiis humilibus in planitie Aegyptiaca exstructis, necnon ex speluncis in locis proclivibus montium infossis, quo in utroque sepulcrorum genere antiquitus Aegyptii ditiores condebantur¹⁰⁾ Et in stelis lapideis ibidem collocatis¹¹⁾ et in parietibus sepulcrorum multae preces inscribebantur, quibus defuncti diis inferni intime commendabantur imprimis Anubi deo, cujus munus erat animas mortuorum in terram ulteriorem deducere. Omnium autem precum gravissima atque efficacissima eaque de causa omnibus fere sepulcris inscripta nominabatur *Suten-hotep-ta*,¹²⁾ cujus orationis summa et caput erat desiderium, ut in favorem hominis defuncti, Osire, Anube, aliis diis jubentibus, mille panes, mille boves, mille anseres, similia sacrificarentur, „ne anima ante portas inferni repelleretur sed cum electis exornaretur.“ Cui formulae obsecrationis Aegyptii tantam vim tribuebant, ut non solum a cognatis et amicis suis sepulcrum frequentantibus sed etiam ab iis, qui locum istum praeteribant precepcionem unius *Suten-hotep-ta* peterent. „O vos omnes“, ait ipse mortuus, „qui adhuc in terra vivitis, qui vitam amatis mortem vero abominamini . . . sacerdotes, prophetae, scriptores, cantores, viri, feminae, quicunque hoc sepulcrum aut septentrionem aut meridiem versus praetergredimini, — si cupitis gratia

4) Herod. II, 123.

5) Strabo XVII, 806. Diodor I, 5.

6) Cf. Spiess, Entwicklungsgeschichte der Vorstellungen vom Zustande nach dem Tode p. 186.

7) Le Page Renouf, Vorlesungen über Ursprung und Entwicklung der Religion der alten Aegypter p. 120.

8) Erman, Aegypten und Aegyptisches Leben im Alterthum p. 425 sqq.

9) Ebers, Der geschnittene Holzsaarg des Hatbastru p. 228. Sarcophagus ille fortasse tempore regum Ptolemaicorum i. e. quarto seu tertio a. Chr. n. saeculo confectus est; orationes autem insculptae cum vetustissimis orationibus Aegyptiorum omnino congruunt. L. c. p. 242. 258. 261 sq.

10) Pauperiorum Aegyptiorum cadavera sine dubio ratione simplicissima sepeliebantur in arena deserti, ita tamen ut singula sepulcra intra terram lateribus circumdarentur et operirentur. Cf. Forrer, Mein Besuch in El Achmim p. 32. 40.

11) Baedeker, Aegypten. Ed. II., p. 404.

12) Le Page Renouf, l. c. p. 125 sqq. Erman, l. c. p. 415 sq.

regis vestri perfrui vel nomen vestrum in terra conservare vel munera vestra filiis vestris hereditate relinquere . . . si in terra felices esse, postea autem ad beatos pervenire vultis, oretis *Suten-hotep-ta!*“ — Nec frustra! Nam saepissime viatores Aegyptii sepulcra praestantiora ingressi, postquam eorum amplitudinem et pulchritudinem satis contemplati atque admirati sunt, voluntati mortuorum obtemperarunt et subscriptione quadam addita ita se fecisse posterioribus advenis indicarunt.¹³⁾ — Praeter inscriptiones ad immortalitatem animarum referendas in parietibus Mastabarum ceterorumque sepulcrorum haud raro etiam imago inferni depingebatur. Quas inter picturas tempore Mosis fortasse primum locum obtinebant tabulae artificiose pictae in Seti I. Pharaonis sepulcro, quod nuper prope Qurnah i. e. Thebas repertum et patefactum est.¹⁴⁾ Ra enim, magnus Solis deus, iter suum nocturnum per duodecim partes inferni faciens ibidem cernitur. Navis dei apparet in fluvio, qui ex occasu ad orientem versus totum regnum subterraneum perfluit. Cum deo autem in nave animae hominum modo defunctorum vehuntur, ex quibus plurimae, spatio quodam interjecto, modo in dexteram modo in sinistram ripam fluvii dimittuntur, ut in pago finitimo agrum colant et cum daemonibus illic habitantibus fortiter pugnent. Nonnullae tamen animae majori familiaritate cum Sole conjunctae in nave permanent et omnibus curis vacuae ex lumine dei sui perpetuum capiunt gaudium.

Ea quae inscriptiones et picturae sarcophagorum et sepulcrorum de idea immortalitatis docent optime suppletur libro illo celeberrimo, qui a Lepsius „liber mortuorum“ appellatus est.¹⁵⁾ Defuncti enim, ut varia pericula in inferno feliciter superarent et clementem judicem ibidem invenirent, multas preces antiquissimas recitare debebant, quae ducentis capitibus libri illius continebantur. Quum autem vix quisquam omnes preces memoria tenere posset, Aegyptii nonnulla tantum capita seu volumina libri una cum mortuis sepelire et sive in excavato pectore cadaverum sive inter fascias et lintamina recondere solebant. Omnium capitum gravissimum et saepissime in sepulcris repertum erat caput centesimum vicesimum quintum, in quo iudicium de anima ante tribunal Osiris dei in inferno faciendum fusius hoc modo describitur. Mortuus a dea veritatis in palatium iudicii ductus primum Osirim, summum inferni deum, ceterosque quadraginta duos iudices divinos illi assistentes submitte salutatur.¹⁶⁾ Tum multis verbis iterum atque iterum affirmat, se in terrestri sua vita ea peccata non commisisse, quae a singulis illis iudicibus punienda sint. „Non,“ inquit, „perfide egi contra ullum hominem, non afflixi socios meos . . . non violavi servos, nemini alimenta subduxi, neminis excussi lacrimas, neminem necavi . . . non furatus sum panes et lintamina mortuorum, non fornicatus sum . . . non abstuli lac ab ore infantium, non pandi retia ad captandas aves deorum, non derivavi aquam ex canalibus etc.“ Qua defensione finita cor mortui in lance accurate penditur, ut manifestum fiat, utrum singulae asseverationes defensionis cum veritate congruant nec ne. Bonum si exitum res habet, defunctus ab Osire iudice ad mercedem accipiendam in arva *Aalu* immittitur, ubi pii deorum veneratores vitam vitae terrestri similem quidem sed tamen perfectiorem agunt. Si vero pensura illa demonstrat mortui defensionem a vero longe abesse, Osiris iudex peccatorem poenis gravissimis multat. — Vix dubitari potest, quin propter illud ipsum sollemne ac sanctum iudicium in „libro mortuorum“ descriptum tota Aegyptiorum idea immortalitatis saepe permagno aestimata sit. Immo eadem de causa Aegyptiorum de immortalitate doctrina doctrinae subobscurae veterum Hebraeorum facile anteponi poterat, — num jure meritoque, infra cognoscemus, postquam etiam tenebras ignorantiae et erroris perspeximus, quae lucem scientiae illius undique circumdabant. Antea breviter inquiramus oportet,

¹³⁾ Le Page Renouf, l. c. p. 129 sq.

¹⁴⁾ Wiedemann, Die Religion der alten Aegypter p. 46 sqq.

¹⁵⁾ Naville, Das Aegyptische Todtenbuch der XVIII. bis XX. Dynastie p. 18 sqq. Wiedemann, l. c. p. 129 sqq.

¹⁶⁾ Pierret, Le livre des morts des anciens Égyptiens p. 369 sqq.

c) Quomodo et quam saepe Aegyptiorum idea immortalitatis in publicum prodiret. „Ces croyances,“ recte ait Vigouroux, „n' étaient pas seulement écrites sur les papyrus, elles étaient passées dans les moeurs, elles y jouaient un très grand rôle et étaient devenues, pour ainsi dire, vivantes.“¹⁷⁾ Quanta cum industria ac sedulitate tota in terra Aegyptiaca quotidie permulta cadavera modo defunctorum condiebantur! A sacerdotibus medicinam exercentibus, qui inter se consociati in sepulcretis habitabant,¹⁸⁾ cadavera per triginta vel quadraginta dies diligentissime lavabantur, tum aromatibus implebantur, demum sale petrae conspergebantur et longissimis fasciis involvebantur,¹⁹⁾ ut perdura fierent et per multa saecula putredini resistere possent. Primaria autem causa totius illius negotii difficilis non tam horror seu timor mali odoris erat, quam spes aliquando futurum esse, ut animae defunctorum cum corporibus incorrupte servatis iterum copularentur. Atque ita Aegyptii in condiendis mortuis suis clara voce quotidie palam testabantur et animae humanae immortalitatem et corporis futuram redintegrationem,²⁰⁾ sicuti etiam saxea sepulcra Aegyptiaca, imprimis pyramides, quae corpora mortuorum tuebantur usque ad futuram vivificationem, tanquam hac fulgente inscriptione ornata erant: „Resurrecturis!“ seu „Credo vitam venturi saeculi!“²¹⁾

Praeterea Aegyptii sententiam suam de immortalitate animarum coram omnibus ostendebant in peregrinationibus illis sacris, quas Abydum, urbem magnam in superiori Aegypto sitam, suscipiebant, ubi celeberrimum templum super sepulcro Osiris dei exstructum erat.²²⁾ Quo nobiliores Aegyptii defuncti a sacerdotibus et a cognatis suis sollempniter perducebantur, sive ut prope Osirim sempiterna requie fruerentur sive ut tanquam salutandi causa ad deum venirent et, postquam in templo sacris adfuissent, in sepulcrum suum domesticum redirent.²³⁾

Manifestissime autem Aegyptii spem immortalitatis exprimebant quotiescunque ipsum funus summo cum apparatu ac splendore faciebant. Permulti homines, qui arcta longinquave propinquitate cum defuncto conjuncti erant, amici, sacerdotes, ministri, alii tunc una cum illo in nave pulcherrime exornata ad occidentalem ripam Nili fluminis vehebantur. Deinde totum lugentium agmen accurate dispositum ad sepulcrum procedebat, ubi gemitus et lamentationes propinquorum ad summum veniebant.

Postremo autem omnes variis caerimoniis peractis mirabili modo spei suae testimonium perhibebant, animam defuncti mox in beatam vitam aeternam ingressuram esse. Sceptro enim quodam mystico ad sarcophagum admoto os et oculi modo sepulti hominis symbolice recludebantur, necnon flores, fructus, alimenta, similia afferebantur, ita ut mortuus quodammodo novis sensibus praeditus et donis cibusque praestantissimis refectus ex hac vita in infernum migrare posset.²⁴⁾ Et quum in caerimoniis illis semel post mortem habitis non acquiescerent, ditiores Aegyptii testamento suo, stipendio satis magno constituto, providebant, ut unus vel complures sacerdotes per multos annos juxta sepulcrum preces facerent, odores incenderent, sacrificarent. V. gr. usque ad domum regnatricem XXVI., i. e. ad annum 600 a. Chr. n. sacerdos quidam pro Cheope (Chufu) rege, aedificatore maxi-

17) Vigouroux, l. c. III, p. 149.

18) Ebers in Riehm, Handwörterbuch I, p. 352 sqq.

19) Herod. II, 86—88. Diodor. I, 91. Cf. Uhlemann, Aegyptische Alterthumskunde II, p. 312 sqq.

20) Fischer, Heidenthum und Offenbarung p. 382; Schneider, Die Unsterblichkeitsidee im Glauben und in der Philosophie der Völker p. 261 sq.; alii.

21) Sepp, Jerusalem und das hl. Land, ed. II., tom. II, p. 836. Keppler, Wanderfahrten und Wallfahrten im Orient p. 102 sq.

22) Uhlemann, l. c. IV, p. 46.

23) Erman, Aegypten p. 432.

24) Erman, l. c. p. 433. Wiedemann, Die Religion der alten Aegypter p. 124 sq.

mae pyramidis, sacra illa faciebat, quae perpetua testamenti procuratio per tria millia annorum manifestum testimonium praebebat firmissimae spei immortalitatis.²⁵⁾

Itaque quum nemini Aegyptum peragranti totius populi sententia de rebus post mortem futuris latere posset, tum veteres Hebraei per quadringentos annos Gosen, provinciam Aegyptiacam, obtinentes dominatorum suorum opiniones ea de re vulgares accurate cognoscerent necesse erat. Unde etiam mirum fuisset, si Hebraei occasione tam saepe data non suam quoque de immortalitate sententiam identidem renovassent et confirmassent. Num v. gr. qui Jacobi et Josephi patriarcharum corpora more Aegyptiaco condiebant (Gen. 50, 2 sq. 26) dubitare poterant, quin animae patrum illorum summo in honore habitorem in Scheole vitam agerent beatissimam? Quam ob rem nonnulli recentiores interpretes jam ex diuturno Hebraeorum cum Aegyptiis convictu ideam immortalitatis non solum huic sed etiam illi populo inhaesisse non sine causa concluderunt.²⁶⁾ — At Haebraei quamvis ex doctrina Aegyptiorum de immortalitate sine dubio fructum quendam perciperent, magnum tamen periculum ingressi essent, si hac in re vestigia dominatorum suorum omnino pressissent. Exceptis enim nonnullis ideis rectis tota fere Aegyptiorum de vita futura doctrina tam confusa et stulta erat, ut Veteris Testamenti eadem de re sententiae minime aequaret. Quod ut melius intelligas tecum reputes hanc opinionum in Aegypto pervulgatarum perversitatem:

2. Jam antiquissimis temporibus in Aegypto variae et inter se haud raro discrepantes sententiae de rebus divinis permixtae sunt. Quamquam enim non dubitandum est, quin quum sublimiora religionis dogmata et praecepta tum doctrina de unitate Dei et de immortalitate animae humanae jam primis incolis Aegypti satis nota fuerint,²⁷⁾ tamen multis monumentis testibus eodem perantiquo tempore falsa veris ubique admixta sunt. Jam in inscriptionibus earum pyramidum, quae a VI. domo regnatrice erectae sunt, Monotheismo Pantheismus, Polytheismus, astrorum et avorum cultus, aliae doctrinae fere pares positae sunt.²⁸⁾ Mira haec confusio ex eo orta esse videtur, quod parvae illae quadraginta duae civitates Aegyptiacae (*νόμοι*), quae primitus sui juris fuerant, eo tempore quo regnante Mene Pharaone illustrissimo in unius populi corpus coalescebant, singulares suas res divinas et caerimonias breve tantum per temporis spatium retinebant pauloque post sibi invicem transferebant, unde diversae ac dissimillimae ideae et doctrinae adeo confusae ac commixtae sunt, ut ne nostris quidem temporibus doctissimis viris contigerit, veterum Aegyptiorum religionem ad unitatis rationem reducere et uno in conspectu disponere.²⁹⁾ Quod autem in universum hoc imprimis de doctrina Aegyptiaca, quae spectat ad animam humanam valet. Dissidentes enim a ceteris omnibus gentibus, quae animae humanae simplicem ascribebant naturam, Aegyptii animam ex compluribus partibus compositam esse opinabantur. Cujus praecipua elementa nominabantur *Ka*, *cor*, *ba*, *Osiris*, aliter;³⁰⁾ quomodo autem singula inter se cohaerent seu cum corpore conjuncta essent, plerisque minime constabat.³¹⁾ — Quod dicebatur *Ka* secundum multorum opinionem erat imago quaedam homi-

²⁵⁾ Le Page Renouf, l. c. p. 128. Cf. Baedeker, Aegypten, ed. II., p. 101. 107.

²⁶⁾ Flunk, Zeitschrift für kath. Theologie 1887, p. 466. Atzberger, Eschatologie p. 20 sq.

²⁷⁾ Emmanuel de Rougé, Conférence sur la religion des anciens Égyptiens, ap. Le Page Renouf, l. c. p. 85: „Der Glaube an die Einheit des höchsten Gottes und seine Eigenschaft als Schöpfer und Gesetzgeber der Menschen, denen er eine unsterbliche Seele gegeben hat, dies sind die Urbegriffe, welche gleich unzerstörbaren Diamanten in die mythologischen Zuthaten gefasst wurden.“

²⁸⁾ Wiedemann, l. c. p. 3.

²⁹⁾ Spiess, Entwicklungsgeschichte p. 190 sq.: „Es gebricht noch immer an einem zuverlässigen leitenden Faden durch das Labyrinth der aegyptischen Mythologie.“

³⁰⁾ Wiedemann, l. c. p. 126 sqq. Erman, l. c. p. 414 sq.

³¹⁾ Ex mira opinione, in uno homine tanquam complures animas habitare, etiam illud „colloquium moribundi cujusdam cum anima sua“ exivisse videtur i. e. carmen c. annum 2000 a. Chr. n. scriptum, in quo homo quidam, ab

nis, non dissimilis ei imagini, quae in somniis seu in speculo aquae cernitur. Corpore relicto *Ka* illud spiritualem quidem vitam agebat, simul tamen alligatum erat ad locum, ubi cadaver sepultum erat, quare in sepulcris saepe sacrificia fiebant necnon escae et potus deponebantur, ne *Ka* fame et siti laboraret. Omnes enim curas et cogitationes Aegyptii in id semper conferebant, ut a *Ka* suo tormentum famis et sitis averterent. — Praeter primum illud animae elementum etiam cor hominis vitam post mortem et liberam agendi et vagandi facultatem servabat. Eo demum momento temporis, quo mortuus in iudicium vocabatur, cor in consessum Osiris aliorumque iudicum subterraneorum intrabat, ut cum corpore iterum conjungeretur. Interea autem homo affectus erat summo cordis sui desiderio, ad quod leniendum lapidei scarabaei carminibus quibusdam precationis insigniti in pectore cadaveris deponebantur. — Longum est scrutationi nostrae de *Ka* et corde modo institutae quaestionem addere, quomodo praeterea *Chaib* i. e. umbra, *ba*, *Osiris*, aliae partes animae post mortem suae potestatis fuerint et extra corpus vixerint. Jam enim manifestum est, ideas illas ineptas et inter se pugnantes hominibus, ubi moriendi tempus urgeret, nullum omnino solatium ac placationem praebere potuisse.

Haud minus a vero aberrabat Aegyptiorum doctrina de animae migratione post mortem per varias bestias et plantas facienda. Herodoto enim si fidem habemus, Aegyptii credebant, omnium hominum animas corpore mortuo coactas esse aliquamdiu in animalibus et terrestribus et aquatilibus necnon in avibus habitare, tum autem — post tria millia annorum — in pristinum corpus redire.³²⁾ Aegyptiorum ipsorum libri et monumenta, quae usque ad nostra tempora conservata sunt, doctrinam istam minus certe et perspicue pronuntiant. Secundum tabulam a Wilkinson Anglo repertam ii tantum poenae migrationis illius damnabantur, qui ante tribunal Osiris iudicis propter gravia peccata reprobati erant.³³⁾ Nonnullis autem ex capitibus „libri mortuorum“ apparet, migrationem illam ex aliorum Aegyptiorum sententia prorsus contraria non poenam sed mercedem fuisse, unde defuncti speraverint, se precibus quibusdam magicis adhibitis per complures bestias et plantas imprimis autem per columbam, anguem, crocodilum, falconem, lotometram permeaturos et multis locis in figuris istis ac formis in hominum conspectum venturos esse.³⁴⁾ At sive timebant sive desiderabant Aegyptii intimum illum animae humanae cum bestiis et plantis connexum: nemo certo doctrinam tam miram magni aestimare poterat nisi qui originis et dignitatis hominis nullam seu imperfectam tantum notitiam habebat. Ergo hac in re Aegyptiis veteres Hebraei, qui non nesciebant, hominem „ad imaginem Dei“ creatum esse et dominationem in cuncta animantia accepisse (Gen. 1, 26 sqq.) longe superiores erant.

Ad summum autem fastigium stultitiae et superstitionis Aegyptii eo perveniebant, quod una cum defunctis suis innumerabiles lapideas, ligneas, fictiles statuas et imagines nutrimentorum, amuleta, similia in sepulcris — inde ab IV. domo regnatrice — deponebant.³⁵⁾ Adhuc permulta ejus generis dona conservata sunt, quamvis jam diu ante tempora Christi sepulera Aegyptiaca a furibus spoliata et omnibus fere rebus pretiosis denudata sint.³⁶⁾ Nutrimentis autem illis — v. gr. panibus, anseribus, femoribus taurinis — magna vis magica ad defunctos cibandos ascribebatur. Et quum fortasse non sufficerent ad defunctos diu alendos, praeterea statuae coquorum, pistorum, molitorum,

anima sua id potissimum efflagitat, ut sibi ab hac ipsa anima post mortem sacra consueta offerantur. Apertum est sacrificia ab anima offerenda non tam corpori mortuo quam elemento spirituali, a corpore post mortem sejuncto prodesse potuisse. Cf. Erman, *Abhandlungen der Berlin. Akademie der Wissenschaften* 1896, II, 2 p. 6.

³²⁾ Herod. II, 103.

³³⁾ Uhlemann, *Alterthumskunde* II, p. 227 sq. Cf. Fischer, *Heidenthum und Offenbarung* p. 332.

³⁴⁾ Brugsch, *Die Aegyptologie* p. 49 sq.

³⁵⁾ *Orientalistische Litteratur: Zeitung* ed. Peiser 1898, p. 90.

³⁶⁾ Kayser, *Aegypten einst und jetzt*, ed. II., p. 164.

lanionum, coctorum cerevisiae, aliorum servorum et servarum apponebantur, ut simili vi magica praeditae prioribus nutrimentis nova perpetuo adjungerent.³⁷⁾ Singularem locum inter statuas servorum obtinebant Uschebte i. e. „Respondentes“, quorum munus erat, in inferno pro hominibus mortuis opera quaedam perficere. Osiris enim deus defunctos ad agrum subterraneum colendum aliosque ad labores suscipiendos nominatim appellare solebat. Quum vero difficilioribus laboribus minime oblectarentur nobiliores ditioresque Aegyptii in sepulcrum suum servos illos figuratos assumebant, qui dominorum suorum loco Osiri vocanti „respondere“ eorumque laborem sibi sumere debebant. — Denique naviculae artificiosae, res lusoriae, arma, libri delectantes, varia amuleta eo consilio in sepulcris accumulabantur, ut defuncti horas tarde labentes oblectamentis fallere et se contra cuncta pericula in inferno instantia defendere possent. Magna cum industria Aegyptii in tota terra sua innumerabiles illas statuas, amuleta, similia fabricabantur.³⁸⁾ Nonne autem populus ille in universum propter sapientiam suam non immerito a multis celebratus (Act. 7, 22) ejusmodi ineptiis ideam suam immortalitatis turpiter contaminabat et lumen illud, quo arcana inferni alias illustrare studebat, alias obscurabat et exstinguebat?

Restat ut unam breviter commemoremus maculam ideae huic Aegyptiorum adhaerentem, quae recentissimis nostris temporibus clarius cognita est, — diram dico caedem hominum in sepulcris nobiliorum Aegyptiorum perpetrata. Jam Manetho, Plutarchus, Seleukus memoriae prodiderunt, in Aegypto interdum homines diis immolatos esse;³⁹⁾ et quoniam Diodorus enarrat, sacrificia illa super sepulcro Osiris, judicis subterranei, oblata esse,⁴⁰⁾ jam vix dubitandum est, quin defunctorum causa homines nonnunquam ab Aegyptiis sacrificati sint. Quod nuper confirmatum est facta effossione sepulcri Amenophis II. Pharaonis, qui c. annum 1550 a. Chr. n. regnabat.⁴¹⁾ Quo in monumento, in quod post tempora veterum Pharaonum nemo adhuc intraverat, praeter sarcophagum et corpus regis reperta sunt cadavera quattuor hominum vinculis colligatorum, qui sine dubio diis immolati erant; in pectore enim et capite cadaverum nuncusque mortifera vulnera conspiciuntur, quae victimae illae humanae pro Pharaone olim acceperunt. — Itaque graviter accusandi sunt Aegyptii, quod non solum insolitis et ridiculis sed etiam abominandis cruentis remediis usi sint ad terrores inferni superandos.

Nihilominus vero timor ac horror mortis per omnia saecula in Aegypto permagnus erat,⁴²⁾ ita ut misericordia nos quidem moveamur quotiescunque v. gr. alloquium illud in Museo Britannico asservatum legimus, quo uxor mortua conjugem suum viventem ex inferno affatur.⁴³⁾ „O“, inquit, „mi frater et marite, ne desinas epulari, potare, poculum voluptatum faece tenus exantlare, amore feminarum perfrui, dies festos agere! Quotidie indulgeas cupiditatibus tuis! Nam Amenti (infernus) est terra somni et tenebrarum, domicilium tristitiae . . . Nescio, ubinam sim ex quo tempore in hunc locum descendi; sitio aquam me praeterfluentem et fundo lacrimas. Dei enim hic regnantis nomen est „Mors absoluta“, cui omnes appropinquant contremiscentes atque horrentes, quem implorare omnes verentur,

³⁷⁾ Borchart, Die Dienerstatuen aus den Graebem des alten Reiches, in Zeitschrift für aegyptische Sprache und Alterthumskunde 1897, p. 119 sq.

³⁸⁾ Erman, l. c. p. 428 sq.

³⁹⁾ Manetho ap. Porphyrium de abstin. II, 55. Plutarch. de Is. 73. Seleukus, Athen. IV, 172. Cf. Uhlemann, l. c. II, p. 191.

⁴⁰⁾ Diodor I, 88.

⁴¹⁾ Germania, die XXIII. April. 1898. Cf. Orientalist. Litteraturzeitung 1898, p. 138: Es liegen hier die „ersten handgreiflichen Zeugen der aegyptischen Menschenopfer vor, welche früher viel angezweifelt worden sind.“

⁴²⁾ Tiele, Geschichte der Religion im Alterthum bis auf Alexander den Grossen, übers. von Gehrich I, p. 44. 58. 74.

⁴³⁾ Sharpe, Egyptian Inscriptions I, 4. Cf. Wiedemann, l. c. p. 56.

quoniam preces hominum spernit; erga cultores suos non est benevolus neque respicit sacrificia ipsi oblata“.

Atque ita ex argumentationibus nostris perspicuum est, Aegyptiorum ideam immortalitatis primitivam permultis pravis et perversis doctrinis, institutionibus, moribus adeo paullatim velatam et deformatam esse, ut principalia ejus fundamenta temporibus Mosis vix conspici possent. Non saluti sed perniciiei fuisset veteribus Hebraeis, si blandimentis ac benevolentia Aegyptiorum capti simplicem suam et subobscuram quidem sed rectam sententiam de immortalitate animae humanae cum deliramentis illis commutassent. Quare singulari consilio divino factum esse videtur, ut Hebraei ab Aegyptiis diu premerentur et vexarentur (Exod. 1, 11 sqq.), quum propterea se a cultu crudelium suorum dominorum facilius averterent et majori cum studio quam antea praecepta et dogmata suae religionis tuerentur.⁴⁴⁾ Unde etiam simplex illa Hebraeorum immortalitatis idea sanae radice instar jam temporibus Veteris Testamenti optimas fruges ferre poterat (II. Macc. 7, 9 sqq.), Aegyptiorum vero phantasmata herbis inutilibus et luxuriantibus similia magis magisque risum totius mundi movebant.

III. Assyrio-Babylonii.

Vere admiranda erat Sapientia divina, per quam Israelitae prohibebantur, quominus singulis Aegyptiorum de immortalitate doctrinis perversis januam ut ita dicam ac fenestram patefacere et hospitaliter eas exciperent. Num autem de rebus post mortem futuris Assyrio-Babylonii, qui aequae atque Aegyptii antiquitas cum incolis Palaestinae frequentissimum habebant commercium rectius quam Aegyptii judicabant? Magna certe est quaestio, num utilitatem cepissent an damnum fecissent Hebraei si suis doctrinis eschatologicis doctrinas Assyrio-Babylonicas immiscuissent.

1. Assyrio-Babylonios revera multum auctoritate sua valuisse ad formandam veterum Hebraeorum vitam internam et externam, nostris temporibus optime demonstrari potest. Jam enim nemo negare conabitur, quin v. gr. patria Abrahami patriarchae fuerit Ur Casdim, urbs in Babylonia sita (Gen. 11, 31; 12, 1), quoniam recentissimis studiis Assyrio-Babylonicis testibus lingua Hebraica cum lingua antiquissimorum monumentorum in Babylonia nuper effossorum notabilem habet cognationem.⁴⁵⁾ Sine dubio autem patriarcha haud paucas ideas atque opiniones, mores ac consuetudines ex priore patria in novum domicilium Palaestinense secum tulit. Et quum breve post tempus Elamitarum et Babylonii bella sua atque expeditiones usque ad litora maris mediterranei extenderent (Gen. 14, 1 sqq.) ibique imperium suum adeo stabilirent, ut Kudur-Mabuk, rex Elamitarum, Adda-Martu“ i. e. „dominator terrae occidentalis“ cognominaretur, religio et cultus civilis regnorum illorum orientalium summa cum vi in Palaestinam influebant.⁴⁶⁾ Immo ex epistolis in Aegypto prope Tell el Amarna vicum nuperrime repertis luce clarius apparet, linguam et scripturam Assyriacam in Palaestina etiam tunc in usu fuisse, postquam Aegyptii Assyrio-Babylonios trans Jordanem propulsaverant: ingenium eminentius priorum dominorum incolis terrae sanctae vestigia sua penitus impresserat!⁴⁷⁾

⁴⁴⁾ Haneberg, Die religiösen Alterthümer der Bibel p. 123.

⁴⁵⁾ Vigouroux, La bible etc. I, p. 423 sqq. Cf. Weiss, De concordantia Assyriologiae cum S. Scriptura. Index lectt. Lycei Hos. 1894, p. 10 sq.

⁴⁶⁾ Schrader, Die Keilinschriften und das Alte Testament, ed. II., p. 136. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung p. 45.

⁴⁷⁾ Tiele, l. c. p. 228 : „Wenn Sprache und Schrift der früheren (babylonischen) Herrscher, auch nachdem ihre Macht längst gebrochen war, noch immer offizielle Geltung behielten, so muss man ihre geistige Ueberlegenheit wohl tief empfunden haben, und dann kann auch ihre Religion nicht ohne Einfluss auf die einheimische geblieben sein.“

Quam ob rem Israelitae (qui in epistolis illis fortasse *Chabiri* nominantur⁴⁸⁾) Josua duce in Palaestinam ingressi tamquam in aërem penetrantem Assyrio-Babyloniam intrabant, cujus tactum minime effugere poterant; neque mirandum est, quod Moses in Pentateucho saepius nonnullis verbis et loquendi formis usus est, quorum similia etiam in monumentis Assyrio-Babylonicis inveniuntur.⁴⁹⁾ V. gr. et hic et illic pecunia „appendebatur“ (Gen. 23, 16); et hic et illic hominum contumacium cor „ingravabatur“ (Exod. 9, 7); sicuti Assyrii etiam Hebraei „dicebant in corde suo“ (Gen. 17, 17). Eandem ob causam Hebraei consuetudinem habebant conveniendi „in portis“ urbium (Gen. 19, 1; 23, 10; Ruth 4, 1 sq.; II. Sam. 15, 2), quia in monumentis illis aedificandis sibi in exemplum assumerant urbium Assyriacarum portas amplissimas, quae ad magnas conciones advocandas accomodatissimae erant. Denique singulae templi Hierosolymitani partes molibus quibusdam Assyrio-Babylonicorum simillimae erant. Quas omnes ob causas minime mirum fuisset, si Hebraei tot inter reliquias dominationis Assyrio-Babylonicae viventes etiam ideas et res divinas populi illius praepotentis temere suscepissent et paulatim arctius amplexi essent. Quid autem imprimis de immortalitate hominum dominatores illi senserint jam breviter explicare nostrum est.

2. Non sine causa usque ad dimidium saeculi XIX. viri docti conqueri solebant, quod neque veteres historici neque inscriptiones cuneatae nos de doctrinis eschatologicis Assyrio-Babylonicorum certiores facerent.⁵⁰⁾ Aliter vero nunc res se habet. Et narratio de Izdubar seu Namrutu, heroë Babylónico, a Smith Anglo ante triginta annos reperta, et carmen Babylonicum de descensu Istar deae⁵¹⁾ clare docent, veteribus Assyrio-Babyloniis immortalitatem animae humanae non ignotam fuisse. Et quamquam explicatio textuum cuneatorum adhuc multum difficultatis habet, ita ut interpretes passim minime consentiant, nonnulla tamen eaque gravissima capita doctrinae Assyrio-Babylonicae de immortalitate certo cognosci possunt.

„Descensus Istar deae“, quo in carmine non solum migratio deae per omnes partes inferni usque ad thronum Allatu (Ninkigal) reginae subterraneae facta, sed etiam ejus reditio ex inferno describitur, fortasse erat prooemium exorcismi cujusdam eum ad finem ipsi obsecrationi praemissum, ut auditores ex praeclaro exemplo cognoscerent, incolas inferni nonnunquam in superficiem terrae ascendere posse.⁵²⁾ — Ipsius autem inferni imaginem poeta in carmine suo nigris atque horrendis pingit coloribus. Introitus in regnum mortuorum occidentem versus sub monte Aralu esse credebatur. Tauri alati et facie humana praediti prope portam stationem habebant ad primas preces a mortuis introeuntibus exposcendas.⁵³⁾ Deinde „aquis mortis“ transgressi homines defuncti perveniebant ad ipsum infernum, qui sicut oppidum seu palatium septem muris circumdatus erat.⁵⁴⁾ Tenebrae spissae implebant totam regionem, pulvis ac sordes tegebant omnes regni locos. A custode autem quodam manu ducti mortui per septem portas murorum usque ad tribunal Allatu reginae procedebant, ita tamen ut in unaquaque porta ipsis pars quaedam ornatus et vestimentorum detraheretur. Tum iudicio facto homines aut minori aut majori poenae tradebantur. Nam etiam quicumque non tormentorum atrocissimorum et morborum fastidiosorum damnati erant tamen vitam pace et gaudiis carentem in inferno tenebroso degere debebant nullo alio nutrimento relecti nisi — stercore. Denique vix

⁴⁸⁾ Vogel, Der Fund von Tell Amarna und die Bibel p. 13 sqq. Fonk in Zeitschrift für Kath. Theologie 1899, p. 376.

⁴⁹⁾ Kaulen, Assyrien und Babylonien, ed III., p. 65. 243.

⁵⁰⁾ Schenz, Alttestamentliche Offenbarungslehre über den Scheol p. 53.

⁵¹⁾ Hummelauer, Altbabylonische Sagen, in Stimmen aus Maria Laach 1876, p. 409 sq.

⁵²⁾ Jeremias, Die babylonisch-assyrischen Vorstellungen vom Leben nach dem Tode p. 5 sqq.

⁵³⁾ Hummelauer, Religion und Aberglaube der alten Chaldaeer, in Stimmen aus Maria Laach 1877, p. 91.

⁵⁴⁾ Jeremias, l. c. p. 75 sqq.

sperandum erat fore ut multi homines ex statu illo deterrimo liberarentur, quoniam infernus plerumque cognominaretur „terra sine reditu“ (Carm. verss. 1. 5. 11. 41 sqq.).

Cum „descensu Istar deae“ non discrepat in describenda conditione tristissima mortuorum sculptura quaedam Assyriaca anno septuagesimo nono saeculi XIX. reperta, quae nomine „L'enfer Assyrien“ vocari solet.⁵⁵⁾ Hoc quoque monumento teste in inferno habitabant terribiles daemones et formidolosa monstra, variis ex beluis composita, quae defunctis in inferno ambulanti ubique minacibus cum gestibus occurrebant. Omnium autem daemonum saevissimi erant septem „daemones abyssi“, Anunnaki appellati, qui „fontem vitae“ in inferno profluentem custodiebant, ne mortui ex eo biberent et in terram ascenderent. Qui daemones tam infenso animo in omnes homines erant, ut ipse Ea, summus deus, ceterique dii superi tanta eorum malitia obstupescerent.

Non silentio quidem praetereundum est, quod Assyrio-Babylonii non tantum infernum illum terroribus completum, sed etiam alium locum ab hac terra sejunctum noverant, ubi animae nonnullorum hominum justorum beatam agebant vitam. In priori enim quam supra commemoravimus narratione de Izdubar, heroe Babylonico, poeta describit habitaculum Hasisadrae, i. e. Noe patriarchae, qui propter pietatem ac sanctitatem suam ad regionem sedibus deorum propinquam ablatus erat.⁵⁶⁾ Fluctibus vehementibus maris meridionalis circumfusum domicilium illud hominibus piissimis, sapientissimis, fortissimis a diis condonatum erat et bona continebat admiratione digna, v. gr. plantam arcanam, qua omnes morbi sanari necnon adolescentia jam dudum deperdita restitui poterant. Attamen via, quae illuc ferebat, admodum longa et molesta erat. Izdubar seu Namrutu heros, quem Istar dea stimulis amoris agitata crudeliter vexaverat et lepra percusserat, ad insulam illam Hasisadrae aliorumque beatorum, ut sanitatem suam reciperet, iter faciens in maxima pericula incurrebat. Ingentia monstra ex corporibus hominum et scorpionum composita, quae pedibus suis infernum, capitibus coelum attingebant, viatori immanem injiciebant terrorem et animum sanitate spoliabant. Tum Namrutu per caliginosum desertum prope ostium Euphratis fluminis profectus una cum portitore seu nauta Hasisadrae mare meridionale trajiciebat, in quo navigantibus non minora pericula instabant quam in terra modo relicta. Tandem ad insulam feliciter appulsus ab Hasisadra sanatus est heros, quum vero breve post tempus plantam illam mirabilem annuente Hasisadra auferens in patriam suam reverteretur, iterum a daemone invidioso oppressus et thesauro suo divino privatus est.⁵⁷⁾

Profecto! Spem bonam ac jucundam beatae vitae futurae concipere vix poterat quicumque ot periculis et impedimentis post mortem obviam ire coactus erat! Nonne Assyrio-Babylonii, qui prae ceteris populis stupenda monstra variis ex animantibus copulata finxerant,⁵⁸⁾ etiam in formanda ipsorum idea immortalitatis nonnullis rectis sententiis multas opiniones stultas et res commenticias ac fabulosas adjunxerant ideoque tanquam spirituale monstrum sibi formaverant? Tantum propterea aberat, ut tota ista doctrina doctrinam veterum Hebraeorum de rebus post mortem futuris superaret veritate et dignitate, ut populus a Deo selectus magnum in damnum et dedecus incurrisset, si terra sacra occupata opiniones Assyrio-Babylonicas mere suscepisset. Minoris tantum quam par est si quis errores istos ethnicos aestimaverit cum Delitzschio hoc potest arbitrari: „die babylonische Vorstellung von der Unterwelt ist doch um einen Grad freundlicher (!) als die alttestamentliche.“^{58a)}

⁵⁵⁾ Jeremias, l. c. p. 78 sqq.

⁵⁶⁾ Smith, Chaldaeische Genesis p. 216 sqq.

⁵⁷⁾ Jeremias, l. c. p. 82 sqq.

⁵⁸⁾ Lagard, Niniveh und seine Ueberreste p. 422 sqq.

^{58a)} Delitzsch, Babel und Bibel I, p. 38. Quam sententiam excellenter revincit Kugler, Babylon und Christentum I, p. 32 sqq.

Quominus autem damnosae auctoritati Assyrio-Babyloniorum in Palaestina per diu vigenti non succumberent Hebraei initio i. e. tempore Josuae impediabantur majori sua maturitate religiosa, ad quam a Mose Deo mirabiliter adjuvante modo perducti erant,⁵⁹⁾ postea prohibebantur gravissimis poenis, quibus a Deo multabantur, quotiescunque temerarii atque animo levi doctrinis superstitiosis populorum finitimorum indulgere coeperant (Jud. 3, 16 sqq.; 4, 1 sqq.), ita ut simili modo quo antea in Aegypto tunc quoque probaretur illud: „Timor Domini — initium sapientiae!“ Ps. 110, 10. Vulg.

IV. Phoenicii seu Canaanitae.

Commentationem nostram qui hucusque attente perlegerit jam non mirabitur, quod plurimi veteres Hebraei, qui a Deo sapientissimo protegebantur, ne falsis doctrinis Aegyptiorum et Assyrio-Babyloniorum de immortalitate se dederent, per venerandam providentiam divinam a laqueis quoque quibusdam Phoeniciorum seu Canaanitarum servabantur, qui quum de rebus divinis tum de sorte animae aeterna non rectius sentiebant quam ceterae gentes orientales.

1. Nemo nescit religioni Hebraeorum a Canaanitis, inter quos Phoenicii principatum obtinebant (Gen. 10, 15), magnum periculum allatum esse. Mandatum divinum illud, ut omnes gentes Canaaniticas aut extirparent aut ex Palaestina expellerent (Num. 33, 51 sqq.)⁶⁰⁾ parvi aestimantes Israelitae non solum incolis multorum oppidorum expugnandorum omnino parcebant (Jos. 11, 13; 16, 10; 17, 11 sqq.; Jud. 1, 27 sqq.), sed etiam cum hostibus suis tam intimam amicitiam inibant, ut filias eorum uxores ducerent ipsique filias suas filiis eorum traderent (Jud. 5, 6). Quam ob rem multis Israelitis immigrantibus Canaanitae superstites secundum Dei comminationem „quasi clavi in oculis et lanceae in lateribus“ fiebant (Num. 33, 55. Cf. Jos. 23, 13), vel ut aliis verbis utar, Israelitae paullatim ad idololatriam et vitam dissolutam adducti ab hostibus suis externe devictis haud raro internam cladem accipiebant (Jud. 2, 12 sq.; 3, 7; 8, 33; 10, 6).

Imprimis Phoenicii, qui planitiem inter montes Libanonis et mare mediterraneum i. e. remotiorem Palaestinae partem incolebant, ab Israelitis immigrantibus omnino non impugnabantur, quamquam Josua, Eleazar, alii duces et principes territorium illud tribui filiorum Aser attribuerant (Jos. 19, 28 sq. 19, 51; Jud. 1, 31). Quam clementiam seu negligentiam malum sequebatur praemium. Phoenicii enim, sicuti ad innumerabiles alias terras et oras cum navibus et comitatibus suis deorum suorum commenticiorum cultum et mores suos corruptos perferebant,⁶¹⁾ ex multis urbibus maritimis Palaestinae progressi⁶²⁾ una cum mercibus ideas suas ethnicas in pagos Israelitarum importabant,⁶³⁾ ita ut non raro iram prophetarum moverent (Zach. 14, 21. Neh. 13, 16; Soph. 1, 10 sq.; III Reg. 16, 31). Attamen ne periculosa sua auctoritate apud Hebraeos nimis valerent, Deus populum suum superbia ac dominatu eorum interdum vehementer urgebat. V. gr. Jabes, rex Asor urbis,⁶⁴⁾ qui per viginti annos Israelitas tam crudeliter opprimebat, ut omne commercium in viis publicis impeditur (Jud. 4, 2 sq.; 5, 6 sq.), magnum exercitum suum in Phoenicia aliisque in regionibus Palaestinae septentrionalis collegerat (Jos. 11, 1 sq.). Atque ita temporibus illis luctuosis Israelitae animum

⁵⁹⁾ Kurtz, Lehrbuch der hl. Geschichte, ed. XIV., p. 106, annot. 2.

⁶⁰⁾ Reinke, Das Recht der Israeliten an Kanaan. Beitrage I, p. 271 sqq. Kaulen, Canaaniter in Kirchenlexikon II, p. 1790 sqq.

⁶¹⁾ Movers, Die Phoenizier I, p. 759. 49 sqq.

⁶²⁾ Movers, Phoenizien in Ersch und Gruber, Allgemeine Encyklopaedie III, 24, p. 357.


⁶³⁾ Josephus, Antt. XI, 8, 6. Cf. Benzinger, Die Entwicklung der Israelitischen Kultur auf dem Boden von Palaestina. Hebraeische Archaeologie p. 78.

⁶⁴⁾ Riess, Bibel-Atlas s. v. Hazor, et Mühlau, Riehm's Handwoerterbuch I, p. 583, Asor urbem prope lacum Merom in regione septentrionali Palaestinae sitam fuisse recte conjiciunt. Cf. Josephus, Antt. 5, 5, 1.

sum a Phoeniciis omnino averterent necesse erat, quod plerisque firmissimum scutum fiebat contra omnes illecebras religionis ethnicae morumque corruptorum.

2. In ideis suis de rebus post mortem futuris Phoenicii partim cum Assyrio-Babyloniis partim cum Aegyptiis consentiebant. Simili modo quo in extremo carmine sortem Izdubar herois describente narratur, leonem daemonicum plantam mirabilem, hominibus sanitatem atque adolescentiam restituentem, abstulisse, Phoenicii metuebant, ne anima hominis morientis a leone daemónico devoraretur. Jam juxta lectum morientis et juxta feretrum mortui hominis daemonicus ille legatus inferni apparebat et facinus suum committebat, si non ritibus quibusdam sepulturae accuratissime observandis repellatur.⁶⁵⁾ Immo etiam sepultura facta animis defunctorum insidiabantur dii hostiles, ad quos mitigandos et reconciliandos adolescentes quidam sacrificabantur.⁶⁶⁾ Aegyptios Phoenicii eo imitabantur, quod corpora defunctorum tegumentis gypseis aliisque subsidiis, quamdiu fieri poterat, a putredine servabant et in sepulcris aegre aperiendis condebant. Corporis enim tactio seu laesio animae quoque nocuisset, quare in inscriptionibus sepulcralibus vehementissimae execrationes et minae pronuntiantur contra sepulcrorum violatores, qui una cum patribus et filiis suis de terra removendi et post mortem ex societate „umbrarum“ (Rephaim) propulsandi sint.⁶⁷⁾ Denique aequae ac veteres Aegyptii (et Assyrii)⁶⁸⁾ Phoenicii sepulcra sua variis vasis et instrumentis, v. gr. armis, lucernis, vasis unguentariis, cochlearibus, patinis, poculis, similibus eo consilio replebant, ut defuncti in inferno vitam jucundam, vitae terrestri non dissimilem, agere possent. Nihilominus animam cum corpore in sarcophago posito arete conjunctam esse opinabantur. Prope aures enim cadaveris sarcophagus perforabatur sine dubio hunc ad finem, ut anima cum corpore adhuc conjuncta consolationem ac precationem viventium familiarium juxta sarcophagum factam melius audire posset.⁶⁹⁾

Non minus igitur quam ceterae gentes orientales Phoenicii in rebus divinis falsa cum veris, ideas perfectiores cum perversis confuderunt. Quam beati autem praedicandi erant Israelitae, quod instar apium, quae ex venenatis plantis mellifluis guttas nonnullas sine damno sugere sciunt, variis istis doctrinis in universum tantum excitabantur ad meditandum de suae religionis praeceptis et mysteriis, a singulis vero doctrinarum ethnicarum ineptiis adjuvante providentia divina arcebantur! — At argumentandi finem faciamus! Quae priore scribendi occasione data demonstravimus,⁷⁰⁾ ea similiter his quoque scrutationibus nostris probantur. Aegyptii enim, Assyrio-Babylonii, Canaanitae seu Phoenicii sine dubio una cum ceteris gentibus quodcumque Deus primis generis humani parentibus de se ipso et de anima humana revelaverat paullatim aut omnino oblivioni dederant aut impuris additamentis contaminaverant. Soli veteres Hebraei a Deo juvati doctrinas illas divinas per saecula intactas etsi ex parte velamento quodam coopertas servabant, donec prophetae a Deo missi ab oculis populi caliginem illam magis magisque dispellerent et ipse Christus „ubi venit plenitudo temporis“ de cognoscendo Deo et vita aeterna summum afferret lumen. „Multifariam multisque modis olim Deus loquens in prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in Filio!“ Hebr. 1, 1 sq.



⁶⁵⁾ Wolters, Mittheilungen des deutschen archaeologischen Instituts (Athenische Abtheilung) XIII, p. 315.

⁶⁶⁾ Pietschmann, Geschichte der Phoenizier p. 194.

⁶⁷⁾ Schlottmann, Die Inschrift Eschmunazars, Königs der Sidonier p. 46 sq.

⁶⁸⁾ Vigouroux, La bible III, p. 126.

⁶⁹⁾ Pietschmann, l. c. p. 192.

⁷⁰⁾ Index lectt. Lycei Hos. 1894, p. 8 sq.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Antonius Kranich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Encyclopaediam s. theologiae explicabit semel hebdomade hora definienda.
- II. Primum de gratia Christi et justificatione peccatoris, deinde de hominis rebus novissimis disseret, tum doctrinam de s. sacramentis generalem exponet quinquies hebdomade hora X.
- III. Repetitiones et disputationes dogmaticas instituet semel hebdomade hora X.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Jobi librum interpretabitur bis hebdomade hora VIII.
- II. Evangelium secundum Marcum explicabit bis hebdomade hora VIII.
- III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Dr. Julius Marquardt, P. H. O.

De quaestionibus theologiae moralis nostra aetate maxime in controversiam vocatis bis hebdomade disserere perget horis definiendis.

Dr. Josephus Kolberg, P. P. E.

- I. Finitis extremis capitibus universalis theologiae moralis specialem partem theologiae moralis exponet quater hebdomade hora VII.
- II. De rebus ethicis disputabit horis definiendis.
- III. Artem renatam saeculi XVI. tractabit feria II. hora vespertina.

Dr. Bernardus Gigalski.

- I. Vitam Jesu enarrabit refutatis imprimis erroribus, qui nostra aetate grassantur, hora VII. diebus Lunae et Mercurii.
- II. Vitas et scripta veterum patrum tradere perget exercitationesque instituet hora XI. sabbato.

Dr. Alphonsus Schulz.

Introductionem generalem in scripturam sacram dabit bis hebdomade horis deff.

Dr. Aloysius Borchert.

Apologeticae primam partem tractabit bis horis definiendis.

Annot. Lectiones de historia ecclesiastica et de jure canonico postea annuntiabuntur.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Victor Röhrich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam Warmiensem enarrabit ter hebdomade hora XI.
- II. Historiam universalem inde ab anno 1815 tradet bis hebdomade hora XI.
- III. Exercitationes palaeographicas moderabitur semel hebdomade hora XI.

Dr. Guilelmus Weissbrodt, P. P. O.

- I. S. Augustini confessiones ter hebdomade hora IX,
- II. Pindari carmina semel,
- III. Inscriptiones antiquissimas Graecorum et Romanorum bis interpretabitur.

Dr. Franciscus Niedenzu, P. P. O.

- I. Plantarum familias maxime notabiles explicabit bis hebdomade hora VIII.
- II. Exercitationes morphologico-botanicas moderabitur semel hebdomade hora VIII.
- III. Excursionem ad observanda vegetabilia instituet semel hebdomade hora definienda.
- IV. Selecta physices capita experimentis illustrabit bis hebdomade hora VIII.

Dr. Wladislaus Switalski, P. P. E.

- I. Logicae particulam primam tradet bis hebdomade hora X.
- II. Psychologiam empiricam necnon rationalem docebit ter hebdomade hora X.
- III. Exercitationes philosophicas innitens in capita selecta ex Aristotelis metaphysica instituet semel hebdomade hora X.
- IV. Immanuelis Kantii critices, quae vocatur „merae rationis“, conspectum provectoribus exhibebit semel hebdomade hora definienda.

Prof. Martinus Switalski, Lector linguae Polonicae.

- I. Adami Mickiewicz poemata selecta interpretabitur die Mercurii hora VII.
 - II. Leges linguae Polonicae grammaticas docebit exercitationesque dicendi instituet die Lunae et Jovis hora VII.
-

Certamen litterarium et praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a Commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum has proposuerat quaestiones:

- I. **Ex instituto Regio:** De virtute prudentiae ejusque cum ceteris virtutibus nexu juxta mentem S. Thomae Aquinatis disputetur.
- II. **E stipendio Scheill-Busseano:** De jejuniorum in ecclesia Warmiensi observatione commentatio historica.

De priore quaestione Ordini commentatio tradita est his inscripta verbis:

„Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, et custos prudentiae inveniet bona.“
Proverb. 19, 8.

Qui hoc opusculum conscripsit, et scriptis S. Thomae et dissertationibus auctorum recentiorum nisus satis diligenter et dilucide rem suam pertractavit, ut praemio dignus videatur.

Schedula reclusa prodiit nomen:

Maximilian Schmidt, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis:

„Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio et in fletu et in planctu.“ Joël 2, 12.

Auctor libelli fontes juris ecclesiastici Warmienses, imprimis constitutiones synodales et mandata Episcoporum, secutus, quae inde diligenter hausit ac collegit, ea apte disposuit, accurate pertractavit atque omnino rem ita absolvit, ut praemio constituto dignus esse censeatur.

Schedula aperta innotuit nomen:

Eugenius Brachvogel, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat:

Ex instituto Regio: „Quorum animalium in scriptura sacra mentio fiat, exponatur.“

Ordini subjecta est una commentatio his verbis insignita:

„Laudate dominum bestiae et universa pecora, serpentes et volucres pennatae.“
Psalm. 148, 10.

Auctor materiam diligenter congressit, recte disposuit, scite interpretatus est, quapropter Ordo ei praemium legitimum adjudicavit.

Schedula rescissa prodiit nomen:

Franz Schmidt, stud. phil.

In annum currentem hae quaestiones proponuntur:


Ab Ordine Theologorum:

- I. **Ex instituto Regio:** Quid de Pentateucho ejusque auctore nostris temporibus interpretes judicaverint, exponatur.
- II. **E stipendio Scheill-Busseano:** Quae Gregorius Nazianzenus in oratione apologetica „De fuga“, Chrysostomus in libello „De sacerdotio“, Gregorius Magnus in „Libro regulae pastoralis“ de sacerdotio doceant, breviter explicentur et comparentur.

Ab Ordine Philosophorum:


Ex instituto Regio: Quae imago vitae ecclesiasticae Warmiense in constitutionibus synodalibus mediae aetatis expressa sit, exponatur.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante Calendas Decembres Rectori Lycei tradendae sunt.



Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praest **Prof. Dr. Niedenzu**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris.
- II. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat **Prof. Dr. Niedenzu**.
- III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.
- IV. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Kolberg**.
- V. Horto botanico praest **Prof. Dr. Niedenzu**.
- VI. Nummos collectos asservant **Prof. Dr. Weissbrodt** et **Prof. Dr. Röhrich**.



5265

03824